



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

Caput II. De residentia aliorum Ecclesiasticorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI applicandam eo ipso amittat : crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum Canonum Censuræ subjiciantur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas, seu nuntium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes ( prout cujusque minor, aut major contumacia exegerit ) suæ supremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

## CAPUT II. De residentia aliorum Ecclesiasticorum.

*E*piscopis inferiores quævis beneficia Ecclesiastica personalem residentiam de jure, sive consuetudine exigentia, in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum ordinariis, quemadmodum eis pro bono Ecclesiæ regimine, & divini cultus augmento, locorum, & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis juris remedii residere cogantur, nullique privilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur : indulgentius vero, & dispensationibus tem-

temporalibus, ex veris & rationabilibus Sæcul XVI.  
causis tantum concessis, & coram ordinario legitime probandis, in suo robore per-  
mansuris: quibus casibus, nihilominus offi-  
cium sit Episcoporum, tanquam in hac par-  
te a Sede Apostolica delegatorum, provi-  
dere, ut per deputationem idoneorum Vicariorum, & congruae portionis fructuum as-  
signationem, cura animarum nullatenus ne-  
gligatur, nemini, quoad hoc, privilegio,  
seu exemptione quacunque suffragante.

De cetero haud levis in Synodo alterca-  
tio exorta erat circa clausulam secundi  
hujus capituli, ubi sermone de episcopis in-  
jecto hæc verba inferebantur: *Tanquam*  
*Sedis Apostolice Delegati.* Hanc in rem  
Tirolensis Episcopus scriptum recitavit,  
in quo quemlibet Episcopum ex ipso suæ  
dignitatis gradu hac auctoritate ac ju-  
re potiri asserebat: Pighinus autem A-  
lisensis Episcopus, antea Rotæ Audi-  
tor, nec non Albensis Antistes ve-  
luti pro tribunali sedentes pronun-  
tiabant, quod Tirolensis Episcopi  
propositio esset hæretica juxta Canonem  
*Omnis*, in quo Nicolaus II. omnes Ec-  
clesias a Romana Sede institutas defini-  
vit: hinc ambo hujus Præfusis scriptum  
examinari petierunt. Ceterum hoc du-  
bio tum exorto Legatorum primus mi-  
nus circumspecte illi Præfuli injunxit,  
ut chartam suam porrigeret, hac autem

M 4

agen-

**Sæcul. XVI** agendi ratione Synodi auctoritatem suæ  
A.C. 1547 potestati æquiparare videbatur. Verum,  
 dum Episcopus scriptum suum exhibue-  
 rat, mox Montanus Cardinalis rem com-  
 posuit, chartamque Antistiti restitu-  
 jussit.

Evidem extra dubium est, quod  
 hæc clausula in Galliis Regis auctorita-  
 ti adveretur; quippe in ejus Regno nul-  
 lis quocunque pacto, ac modo Dele-  
 gati Pontificii potestatem exercere valet,  
 absque disserta Regis facultate a Parla-  
 menti curiis in tabulas relata, prout  
 decisum fuit hoc anno Domini millesi-  
 mo quingentesimo quadragesimo septi-  
 mo die decima Martii (\*). Porro haud  
 diffiteri possumus, quod hoc Synodi de-  
 cretum ad emendandos abusus hinc in-  
 de introductos summopere necessarium  
 fuerit.

### CAPUT III. De correctione Cleri tam sacerdotalis, quam regularis.

**C**etera capitula his verbis erant con-  
 cepta: *Ecclesiarum Prælati, ad cor-  
 rigendum subditorum excessus prudenter, ac  
 diligenter*

---

(\*) Romæ omnes Franciæ Delegati libe-  
 ram habent suum munus exercendi facultatem.